

differunt, quòd 1° conclusio syllogismi est particularis, conclusio verò inductionis universalis; 2° proinde propositio major syllogismi est conclusio inductionis.

253. III *Diversum est principium syllogismi et inductionis.* Cum syllogismus ab universali ad particulare procedat, in eo principio fundatur: *Quod toti convenit vel repugnat, singulis partibus in toto comprehensis convenit vel repugnat.* Hoc principium ab Aristotele vocatur *dictum de omni et de nullo.* — Contrà, quia inductio argumentatur ex partibus ad totum quod ex iis conflatur, fundatur in eo principio: *Quod omnibus partibus convenit aut repugnat, toti etiam convenit aut repugnat.* — Jam de inductione satis; de syllogismo verò in articulo sequenti uberiùs disputandum.

ARTICULUS II

De syllogismi legibus ac diversis formis (1).

254. Argumentum deductivum diverso modo potest exprimi, et varias induere formas. Porrò absolutissima illius forma in *syllogismum* quadrat, qui tribus notionibus, tribus judiciis tribusque propositionibus conflatur. Accedunt alia argumenta quæ majorem propositionum numerum continent et ideo *imperfectæ* syllogismi formæ appellantur. — Syllogismus autem perfectus in *categoricum* et *hypotheticum* dividitur, prout ex propositionibus categoricis aut hypotheticis constat. — De variis istis argumenti formis sigillatim agendum est; quod ut accuratè præstetur, expendemus 1° syllogismi categorici leges; 2° varias figuras; 3° modos; 4° utilitatem et historiam; 5° leges syllogismi hypothetici; 6° leges argumentorum quæ ad syllogismum accedunt.

§ I. — De legibus syllogismi categorici.

255. Ab Aristotele octo traditæ sunt syllogismi regulæ quarum quatuor ad ejus terminos, quatuor autem ad ejus propositiones referuntur. Continentur hisce versiculis:

(1) Cf. Tongiorgi et Graty qui copiosè de syllogismo disserunt.

Terminus esto triplex, medius, majorque minorque.
Latiùs hos quàm præmissæ conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio fas est.
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
Ultraque si præmissa neget, nil inde sequetur.
Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.
Pejorem sequitur semper conclusio partem.
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

Porrò istæ regulæ singulatim explicandæ necnon probandæ veniunt.

REGULA 1^a: *Terminus esto triplex, medius, majorque minorque.*

256. Etenim in eo consistit syllogismus ut duo extrema, videlicet subjectum et attributum, cum medio uno comparentur, ut eliciatur inde illorum convenientia aut repugnantia. Quòd si *plures* tribus terminis inveniantur, duo extrema non cum uno communique medio conferentur; proinde nihil colligere fas erit nec de illorum convenientiâ, nec de repugnantia. — Sin *pauciores* habeantur, deficit ipsa comparatio, nec jam adest ratiocinium.

Cavendum est porrò ne quartus terminus latenter obrepat, ut in exemplo sequenti: Leo est animal. Sed hæc statua est leo. Ergo hæc statua est animal.

REGULA 2^a: *Latiùs hos quàm præmissæ conclusio non vult.*

257. Scilicet nullus terminus latiùs accipi debet in conclusione quàm in præmissis. Conclusio quippe a præmissis eruitur, ac proinde in iis contineatur oportet. Sed in præmissis non contineretur, si quem terminum latiore quàm ipsæ includeret. — *Violatur* hæc regula, si quis terminus particulariter in præmissis, universaliter autem in conclusione sumatur, ut in exemplo sequenti: Omnis Æthiops est niger. Sed omnis Æthiops est homo. Ergo omnis homo est niger.

REGULA 3^a: *Nequaquam medium capiat conclusio fas est.*

258. Terminus medius is est quocum extremi comparantur; ergo ibi tantum inveniri debet, ubi hæc fit compa-

ratio. Atqui comparatio extremorum cum medio fit in præmissis, non autem in conclusione.

Et verò, terminus medius, in conclusione positus, vel aliquid redundans et meram *tautologiam* exhibet, vel latenter quartum terminum inducit. V. g. in hoc exemplo : Omne bonum est amandum. Atqui Deus est bonus. Ergo Deus bonus est amandus, medius terminus *bonus* in conclusione verbum prorsus otiosum exhibet.

Econtra, in sequenti exemplo quartus terminus inducitur : Alexander fuit dux. Atqui Alexander fuit parvus. Ergo Alexander fuit parvus dux.

REGULA 4^a : *Aut semel, aut iterum medius generaliter esto.*

259. Nimirum medius terminus saltem semel in præmissis accipiatur universaliter. Si enim bis particulariter in iis invenitur, sumi potest duplici sensu; ac proinde quatuor jam terminos habet syllogismus. Exemplo est syllogismus sequens : Leo est animal. Sed homo est animal. Ergo leo est homo.

REGULA 5^a : *Utraque si præmissa neget, nil inde sequetur.*

260. Hæc regula significat ex duabus præmissis negantibus nullam conclusionem erui posse. Enimvero si duæ præmissæ negativæ supponuntur, nullum extremorum convenit cum medio. Atqui ex hoc nec extremorum convenientia, nec repugnantia meritò concluderetur. Nam forsitan inter se conveniunt, forsitan repugnant; at certè in eo casu, medius terminus non est apta mensura quâcum comparari queant.

REGULA 6^a : *Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.*

261. Conclusio præmissis respondere debet; atqui præmissæ supponuntur affirmantes; affirmant enim utrumque extremum cum medio convenire. Ergo conclusio convenientiam hanc debet enuntiare et esse affirmans.

REGULA 7^a : *Pejorem sequitur semper conclusio partem.*

262. Apud logicos propositio negans pejor, seu debilior affirmante, et particularis pejor universali dicitur. Quamobrem si altera præmissarum sit negans, conclusio negans, si altera particularis, conclusio particularis erit.

PROB. 1^a PARS. — Si una præmissarum est affirmans et altera negans, id argumento est unum extremum cum medio convenire, alterum autem non convenire. Atqui quorum unum alteri convenit, et alterum non convenit, non conveniunt inter se. Ergo jam termini extremi sibi repugnant, et proinde hæc repugnantia colligenda est in conclusione.

PROB. 2^a PARS. — Si enim ex duabus præmissis, quarum una est particularis, conclusio universalis educeretur, vel universalis affirmans, vel universalis negans. Sed neutrum dici potest.

Non 1^{um}; siquidem in præmissis duo termini universales adesse deberent, quum tamen non nisi unus universalis terminus in eo casu adsit.

Duo termini universales in præmissis exiguntur, suppositâ conclusione affirmante universali. Nam 1^o medius terminus debet esse saltem semel universalis, ex regulâ :

Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

2^o Terminus minor, quum universalis sit in conclusione, universalis etiam esse debet in præmissis, juxta regulam :

Latius hos quàm præmissæ conclusio non vult.

Porrò duæ præmissæ affirmantes, quarum altera est particularis, non duos, sed unicum terminum universalem continent. Enimvero præmissa particularis affirmans nullum terminum universalem habet; non subjectum, ex ipsâ hypothesi; non attributum, vi regulæ suprâ stabilitæ, juxta quam prædicatum propositionis affirmantis particulariter sumitur.

Ex alterâ parte et eâdem ratione, altera præmissa, scilicet universalis affirmans, non nisi subjectum universale continet, quum attributum sit particulare.

Non 2^{um}; in hoc enim casu tres universales termini esse deberent in præmissis, quamvis duo tantum inveniantur.

Tres termini universales exiguntur in præmissis, suppositâ conclusione universali negante. Nam 1^o terminus major et terminus minor universales sunt in hujusmodi conclusione; terminus minor sive subjectum, ex ipsâ hypothesi; et terminus major sive attributum, vi regulæ jam stabilitæ, juxta quam prædicatum propositionis negantis sumitur uni-

versaliter. Ergo duo extremi termini, qui sunt universales in conclusione, universales quoque in præmissis esse debent, vi regulæ :

Latius hos quàm præmissæ conclusio non vult.

2° Ex alterâ parte, medius terminus saltem semel universalis esse debet in præmissis, vi regulæ :

Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

Ergo suppositâ conclusione universali negativâ, tres termini universales in præmissis exiguntur.

Porrò si altera præmissarum sit particularis, duos tantùm universales terminos in præmissis invenire licet. Quæ quidem præmissa particularis supponitur, si etiam sit affirmativa, nullum jam terminum universalem habet, ut patet ex dictis; ac proinde nonnisi duo in alterâ præmissâ inveniuntur. Sin præmissa particularis est negans, et altera præmissa universalis affirmans, unus tantùm in unaquaque terminus universalis inest, ut patet etiam ex dictis.

REGULA 8ª : *Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.*

263. Videlicet ex duabus præmissis particularibus nulla conclusio educi potest. Vel enim utraque præmissa est negans, vel utraque affirmans, vel altera affirmans et altera negans. Porrò quæcumque ex his tribus hypothesibus eligas, nulla educi potest conclusio.

1° Si utraque præmissa est negativa, nihil sequitur, vi regulæ :

Utraque si præmissa neget, nil inde sequitur.

2° Si utraque est affirmativa, nullum terminum universalem habet; duo enim præmissarum subjecta sunt particularia, ex hypothesi, et duo etiam attributa, vi regulæ quæ vult attributum propositionis aientis sumi particulariter. Ergo violatur regula :

Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

3° Si una præmissarum est affirmans et altera negans, conclusio, si qua educitur, debet esse particularis negans, vi regulæ :

Pejorem sequitur semper conclusio partem.

Ergo in præmissis duo termini universales reperiri debent, scilicet terminus major, qui universalis est in conclusione, et medius, qui saltem semel in præmissis universalis esse debet.

Atqui duæ præmissæ particulares, quarum altera est affirmans et altera negans, unicum terminum universalem continent. Etenim particularis affirmans tum subjectum, tum attributum particulare habet, ut patet ex dictis. At propositio particularis negans attributum solum habet universale. Ergo in iis præmissis invenitur unicus terminus universalis, quamquam duo expostulantur.

Porrò inter famosas eas octo leges, longo sæculorum usu probatas, quatuor sunt *primitivæ*, scilicet 1ª, 2ª, 5ª et 6ª; aliæ autem ad eas referuntur et eas applicant ac magis determinant (1).

§ II. — De syllogismi figuris.

264. Nomine figurarum syllogismi venit *ordinatio sive combinatio extremorum cum medio termino*. Quamobrem tot erunt syllogismi figuræ, quot possibles ordinationes medii termini cum extremis.

265. Porrò, ut Aristoteles docuit, *tres* sunt diversæ ordinationes extremorum cum medio termino, sive triplex est diversa relatio inter medium et extrema. Nam vel medius terminus prædicati munere fungitur in utrâque præmissâ, vel bis munere subjecti, vel in alterâ subjecti, in alterâ autem attributi vices implet.

(1) Recentes quidam philosophi unicam syllogismi regulam posuerunt. Ita auctor *Artis cogitandi* regulam hanc tradit : Altera præmissarum conclusionem contineat, altera contentam declaret.

Gratry autem adumbrationem SS. Trinitatis in syllogismo esse ratus, hanc solùm regulam proponit : *Tres unum sint*; illâ enim observatâ, verus, neglectâ autem, semper falsus est syllogismus.

Quæ quidem regulæ essentialiam syllogismi probè commonstrant; sed cum nimis generales sint, minimè sufficiunt ad statim ostendendam veritatem falsitatemve cujuslibet syllogismi. E contra octo Aristotelis regulæ valent ad omnes et singulos syllogismos conficiendos vel judicandos.

1° Si medius terminus est subjectum in majori et attributum in minori, obtinet prima figura, ut in sequenti syllogismo : Omnis virtus est colenda; sed prudentia est virtus. Ergo prudentia est colenda.

2° Si medius terminus cum in majori, tum in minori sit attributum, obtinet secunda figura, ut in exemplo sequenti : Nullum corpus cogitat; sed mens humana cogitat. Ergo mens humana non est corpus.

3° Si medius terminus in utràque præmissa sit subjectum, obtinet tertia figura, ut in exemplo sequenti : Omnes impii sunt miseri; porrò quidam impii sunt divites. Ergo quidam divites sunt miseri.

Hæ tres figuræ versiculo sequenti declarantur :

Sub-præ prima, sed altera bis præ, tertia bis-sub.

Quidam logici quartam figuram proponunt, a Theophrasto, ut creditur, inventam, vi cujus medius terminus est attributum in majori, et subjectum in minori, ut in sequenti exemplo : Nullus homo est bellua; atqui omnis bellua est animal. Ergo aliquod animal non est homo.

Unde fautores istius figuræ versiculum sequentem tradunt in quo syllogismi quatuor figuræ continentur :

Sub-præ, tum præ-præ, tum sub-sub, denique præ-sub.

Porrò quarta hæc figura admitti posse non videtur, quia non est naturalis, sed primæ figuræ violenta quædam et insperata immutatio.

Gratry opinatur omnia componi posse, si admittatur tres tantum figuras inveniri, quarum prima duplicem faciem habeat, ac bifariam exprimat, prout medius terminus est subjectum majoris et minoris attributum, vel attributum majoris et minoris subjectum. Unde proponit versiculum sequentem :

Præ-præ, tum sub-sub, tum sub-præ, non sine præ-sub.

Sanè nihil vetat quin admittatur ordinatio ista, eique libenter assentimur.

Interim quæque ex prædictis figuris, propriis legibus regitur, quæ indicantur sequentibus versiculis :

1^a FIG. : Sit minor affirmans, major verò generalis.

2^a FIG. : Una negans esto, nec major sit specialis.

3^a FIG. : Sit minor affirmans, conclusio particularis.

Quod attinet ad quartam figuram, hæc in eâ servari oportet :

1° Si major est affirmativa, minor sit universalis.

2° Si minor est affirmativa, conclusio sit particularis.

3° In modis negativis major nunquam non erit universalis.

§ III. — De variis singularum figurarum modis.

266. Modi syllogismi sunt diversæ ordinationes propositionum inter se, secundum universalitatem et particularitatem, a affirmationem et negationem.

267. Quocirca tot erunt modi syllogismi, quot possibiles diversæ ordinationes propositionum sub respectu quantitatis et qualitatis. Porrò nonnisi novem et decem modi veri utilesque numerantur (1). Ex modis utilibus quatuor ad 1^{am} figuram, quinque ad 1^{am} figuræ respectum inversum, quatuor ad 2^{am}, et sex ad 3^{am} pertinent, ut indicatur sequentibus versiculis : 1^a FIG. : *Barbara, Celarent, Darii, Ferio* (1^a fig. inversa, aliter 4^a) *Bamalipton,*

Camentes, Dimatis, Fresapno, Fresisomorum (2).

2^a FIG. : *Cesare, Camestres, Festino, Baroco* : 3^a FIG. : *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Quos ut intelligas versiculos, ad sequentia attende :

1° Tribus syllabis cujusque vocis tres propositiones notan-

(1) Syllogismus omnis tribus propositionibus constat; sed unaquæque potest esse universalis affirmans vel negans, particularis affirmans vel negans. Ergo si major sit *a*, et minor *a*, conclusio potest esse *a*, *e*, *i*, *o*; unde quatuor modi. Quatuor alii modi obtinentur, si minor sit *e*, quatuor adhuc si minor sit *i*, et rursus quatuor, si sit *o*. Sexdecim igitur habentur modi si major sit *a*; sexdecim quoque si sit *e*, *i*, *o*; ac proinde sexaginta quatuor modi sunt physicè possibiles. — Cum verò quisque modus quatuor figuras habere possit, si modorum numerum per numerum figurarum multiplices, habebis ducentas quinquaginta sex species syllogismi. Si autem ab iis removeas quæcumque peccant contra unam ex octo syllogismi regulis, remanent solum decem et novem modi veri utilesque.

(2) Ultima syllaba vocis *Bamalipton* et duæ ultimæ vocis *Fresisomorum* alium finem non habent nisi ut mensuram versûs perficiant.

tur sub respectu quantitatis et qualitatis; quantitas autem et qualitas, ut suprâ dictum est (n. 239), designantur litteris *a. e. i. o.* Itaque 1^{us} modus 1^æ figuræ, nempe *Barbara*, indicat tres ejus propositiones esse universales affirmantes; *Celarent* indicat majorem et conclusionem esse universalem negantem; *Darii* indicat minorem et conclusionem esse particularem affirmantem, et *Ferio* indicat majorem esse universalem negantem, conclusionem verò esse particularem negantem. En exempla cujusque modi primæ figuræ :

- *Bar* : — Omnes qui officio suo satisfaciunt, placent Deo.
- *ba* : — Atqui omnes justii officio suo satisfaciunt.
- *ra* : — Ergo omnes justii placent Deo.
- *Ce* : — Nullum corpus cogitat.
- *la* : — Atqui omnis arbor est corpus.
- *rent* : — Ergo nulla arbor cogitat.
- *Da* : — Omnis qui potestate abutitur, peccat.
- *ri* : — Porrò quidam principes potestate abutuntur.
- *i* : — Ergo quidam principes peccant.
- *Fe* : — Nemo impius est felix.
- *ri* : — Porrò quidam homines sunt impii.
- *o* : — Ergo quidam homines non sunt felices.

Non afferimus exempla modorum pro cæteris figuris, quia ex iis quæ attulimus res etiam pro reliquis intelligitur. —

268. Illud quoque advertendum est, quòd *prima* figura jure meritò dicitur *perfecta*, ejusque modi perfecti appellantur, dum reliquarum figurarum modi sunt imperfecti.

Enimvero consequentia in 1^a figurâ ex se perspicua est, mediusque terminus naturalem admodum sedem in præmissis occupat; siquidem in majore, subjecti, in minore autem attributi vices obit. Unde velut in syllogismi capite conspicitur suamque vim in eo quàm maximè ostendit. Quocirca modi cæterarum figurarum ad modos 1^æ figuræ sibi respondentes reduci solent.

Porrò triplex reductio distingui potest, ostensiva scilicet et directa, reductio ad absurdum et impossibile, et reductio ad syllogismum expositoryum; de unaquâque pauca monenda sunt.

I. De reductione modorum imperfectorum ostensivâ, seu de reductione illorum ad modos sibi respondententes in primâ figurâ.

269. 1^o Litteris initialibus indicantur modi primæ figuræ ad quos cæterarum figurarum modi revocari debent; nam quorum littera initialis est B, reducuntur ad *Barbara*; quorum est C, ad *Celarent*; quorum D, ad *Darii*, et quorum F, ad *Ferio*.

Attamen *Baroco* et *Bocardo* non suscipiunt reductionem ostensivam; atque istiusmodi impossibilitas indicatur per litteram C, quæ ipsis inest, *BaroCo*, *BoCardo*.

2^o Insuper, litteræ S. P. M. quæ subsequuntur tres primas vocales designantes tres propositiones syllogismi, innuunt quomodo conversio fieri debeat. Nam si littera S consequatur vocalem, propositio converti debet simpliciter; si littera P consequatur vocalem, propositio quam hæc vocalis repræsentat, converti debet per accidens; si autem littera M consequatur vocalem, tunc altera præmissa alterius loco subrogari debet, nimirum major loco minoris, minor loco majoris, et vicissim. Hæc præcepta continentur sequentibus versiculis :

S vult simpliciter verti; P verò per accid(ens).
M vult transponi; C per impossibile duci.

Uno et altero exemplo res omnis illustrari potest; itaque 1^o sumamus syllogismum sequentem in *Camestres*, qui reduci debet ad *Celarent*, ut indicat ipsius littera initialis :

- *Ca* : — Omnis homo est intelligens.
- *mes* : — Atqui nullum brutum est intelligens.
- *tres* : — Ergo nullum brutum est homo.

Propositio major hujus syllogismi, expressa per litteram A, loco minoris subrogari debet, ut indicat littera M, quæ eam sequitur. Item propositio minor, quam repræsentat littera E, simpliciter est convertenda, ut innuit littera S, quæ ipsam subsequitur.

His actis, habes syllogismum sequentem perfectum in *Celarent* :

- *Ce* : — Nullum intelligens est brutum.
- *la* : — Atqui omnis homo est intelligens.
- *rent* : — Ergo nullus homo est brutum.

Nunc sumamus syllogismum in *Darapti*, reducendum proinde ad *Darii*, ut indicat ipsius littera initialis :

- *Da* : — Omne animal est mortale;
- *rap* : — Atqui omne animal est vivens;
- *ti* : — Ergo aliquod vivens est mortale.

Propositio minor quæ repræsentatur per litteram A, converti debet per accidens, ut innuit littera P quæ ipsam subsequitur. Inde habetur syllogismus sequens perfectus in *Darii* :

- *Da* : — Omne animal est mortale;
- *ri* : — Atqui aliquod vivens est animal;
- *i* : — Ergo aliquod vivens est mortale.

II. De reductione modorum ad impossibile.

270. Reductio ad impossibile obtinet quum ex contradictoriâ conclusionis ab adversario negatæ, contradictoriam præmissæ alicujus ab eo concessæ sequi demonstratur. Ex eo colligeretur duas propositiones contradictorias esse veras, quod impossibile est, ex dictis.

Exemplo sit syllogismus sequens in *Bocardo* : Aliquod corpus non est vivens. Atqui omne corpus est substantia. Ergo aliqua substantia non est vivens. Si quis, concessis præmissis, neget conclusionem, admittit proinde contradictoriam ejusdem, quæ ita se habet : Omnis substantia est vivens. Ergo ea potest assumi in majorem alicujus argumenti, et jungi cum alterâ præmissâ prioris argumenti jam concessâ. Hinc assurgit argumentum sequens : Omnis substantia est vivens. Atqui omne corpus est substantia. Ergo omne corpus est vivens.

Porro adversarius concesserat majorem prioris argumenti, sic institutam : aliquod corpus non est vivens; igitur simul

admittit omne corpus vivere, et aliquod corpus non vivere, quod repugnat.

III. De reductione ad syllogismum expositoryum.

271. Syllogismus expositoryus ex præmissis *singularibus* componitur, et hoc nomine vocatur, quoniam per sensibilem quamdam resolutionem, rem veluti sensibus exponit. En exemplum : Omnis homo ratione gaudet. Atqui omnis homo est animal. Ergo aliquod animal ratione gaudet.

Syllogismus iste in eum expositoryum syllogismum convertitur : Is homo, quem præ oculis habes, ratione gaudet. Porro idem is homo est animal. Ergo aliquod animal ratione gaudet.

§ IV. — De historiâ, præstantiâ et utilitate syllogismi.

272. I. Syllogismi historia. — Inventor syllogisticæ artis habendus est Aristoteles. Hac de re olim disputatum est, quum nonnulli laudem illam Gotamæ, Indo cuidam philosopho, attribuerent. At opinio ista nuper explosa fuit, sive quòd non pauci putent Gotamam Aristoteli longè recentiorum esse, sive quòd argumentum a Gotamâ excogitatum non parùm differat a syllogismo quem tradidit Aristoteles. Argumentum enim Gotamæ quinque partibus constat, scilicet : 1° thesi probandâ; 2° ratione; 3° exemplo; 4° applicatione exempli ad thesim; 5° demum ipsâ conclusione. En exemplum : Mons iste ardet; fumat enim; quod autem fumat, ardet etiam, sicut ignis culinaris; similiter mons iste fumat; ergo ardet.

Adde modestam ipsius Aristotelis confessionem, qui rogat ut sibi ignoscatur, si qua menda in hoc opere exciderint; nam ante ipsum nihil a cæteris philosophis eâ de re disputatum erat (1).

Syllogisticam artem coluit media ætas; et postea Leibnit-

(1) « De rhetoricis multa et antiqua dicta extabant : de syllogismis verò « conficiendis nihil habebamus omnino antea, quod disceremus, sed per « exercitationem quaerendo multum temporis laboravimus. » (De *Sophist. Elenchis*, l. II, c. 8).

zius summis laudibus extulit. At schola empirica post Baconem et Lockium (quibuscum eâ in re sentit Cartesius), contemnendum duxit syllogismum, ut quiddam satis inutile, et parvi fecit humanæ rationis leges, ut se totam ad phænomena corporum converteret.

Sed enim nostris diebus, debitus honos rediit syllogismo, ac philosophi passim eum rursus colendum docent; ita, ut paucos appellem, de Maistre, Cousin et Graty.

273. II. *Syllogismi præstantia*. — Syllogismus exhibet ratiocinii analysim quàm simplicissimam, completam et ingeniosè ordinatam; *simplicissimam*, quia tres tantum notions, tria judicia, tres propositiones continet, quæ ita requiruntur ut, uno ex his sublato, ratiocinium statim deficiat; *completam*, quia positis tribus ideis ac judiciis, ratiocinium integrum habes nec quidquam ultrâ desideratur; *ingeniosè ordinatam*, quia diversæ propositiones debitam sedem occupant et arcto nexu connectuntur; unde quis etiam parvi ingenii, ex præmissis conclusionem irrefutabilem elici clarè perspicit. Quare Leibnitzius inventionem syllogismi inter pulcherrimas humani ingenii inventiones deputat (1).

274. III. *Syllogismi utilitas*. — 1° Syllogismi forma hoc habet ut vehementer faciat ad veritatem inveniendam, demonstrandam et propugnandam contra objectiones adversariorum.

In primâ Logicæ parte (n. 67), syllogismum ad verum *inveniendum* multum valere ostendimus. Ipsi quoque maxima vis inest ad *demonstrationem*, quippe qui breviter fortiterque, detractâ verborum ambitione omni ac pompâ, ad id quod in quæstione agitur, probandum festinat (2).

(1) « L'invention de la forme des syllogismes est une des plus belles de l'esprit humain et même des plus considérables; c'est une espèce de mathématique universelle et l'on peut dire qu'un art d'infailibilité y est renfermé. » (*N. Essais*, l. IV, c. 17, § 4).

(2) « Il est impossible que la forme de la pensée n'influe pas sur la pensée elle-même, et que la décomposition du raisonnement dans les trois termes qui le constituent, ne rende pas plus *distincte* et plus *sûre* la perception des rapports de convenance et de disconvenance qui les unissent ou les séparent. Amenées ainsi face à face, la majeure, la mineure et la conséquence manifestent d'elles-mêmes leur vrai rapport, et la

Tandem ad *refellendas* objectiones potissimum prodest: nam vetat ne adversarius extra quæstionem evagetur, aut æquivocis abutatur propositionibus, aut fallacibus ornamentis et doloso lepore mentem decipiat.

Quinimo *sermo* ipse ex syllogismo perspicuitatem, brevitatem, vigorem plurimum, ac nescio quam veritatis *præcisam* formam mutuatur, ut animadvertit Cousin (1).

2° Hæc porrò philosophiæ *historiâ* vehementer comprobantur; constat enim tum maximè floruisse philosophiam, cum maximè viguit syllogismus, scilicet tempore Aristotelis et medio ævo. Econtrario, decidit philosophiæ majestas ac virtus ubi, neglecto syllogismi usu, inolevit licentia verborum, et unusquisque dicere cœpit, prout suggerebat phantasia, vel cupido demulcendi aures.

§ V. — De syllogismo hypothetico.

275. Syllogismus hypotheticus ille est cujus major est propositio conditionalis; at quoniam hæc esse potest *connexa*, *conjuncta*, vel *disjuncta*, dividitur ipse in syllogismum *connexum*, *conjunctum*, ac *disjunctum*.

I. De syllogismo connexo.

276. Syllogismus connexus dicitur cujus major, sive antecedens, est propositio connexa. Duplici modo in eo concluditur: 1° *Modus ponens*: Ex veritate conditionis sive antecedentis, colligitur veritas conditionati sive consequentis, ut in sequenti exemplo: Si Deus est justus, in alterâ vitâ remunerabit pios. Atqui Deus est justus. Ergo...

« seule vertu de leur énumération précise et de leur disposition régulière » s'oppose à l'introduction de rapports chimériques, dissipe les à peu près et les fantômes dont l'imagination remplit les intervalles du raisonnement. » (Cousin, *Hist. génér. de la philos.*, 2° leçon).

(1) « La rigueur de la forme se communique à la langue du raisonnement, et bientôt à la langue générale elle-même. De là, peu à peu, des habitudes de sévérité et de précision qui passent dans tous les ouvrages de l'esprit et influent puissamment sur le développement de l'intelligence. » (*Hist. gén. de la philos.*, loc. cit.).